



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Aragoniae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67277)

tuor mensibus huius anni, vnus ex nostris 559. confessiones exceperit. Multi aliquot annis neglectam cõfessionem repetierunt, vnus etiam homo iam adulta ætate inuentus, qui nunquam eam antea fecerat. Hæretici quinque, Schismatici tres ad Ecclesiam reducti. Ciues nobiles suam in nos beneuolentiam multis amoris officiis testantur, nosque inuierunt egregiè hactenus cum in aliis multis, tum verò in situ & domo peropportuna acquirenda.



# PROVINCIA ARAGONIÆ.



VNT in Aragonia Prouincia, domiciliis distincti decem, Socij trecenti. Valentia in domo Professa vndequadraginta. In Collegio quadraginta. Totidem in Collegio Cæsaraugustano. In Barcinonensi triginta. Vno plus in Gandiensi. In Bilbilitano sedecim. In Gerundensi vnus & viginti. Vno minus in Turrasonensi. In Balearico viginti quinque. In domo Probationis Tarraconensi duodetriginta. Mortui quinque, è quibus Pater vnus, fratres quatuor. Admissi sedecim. Aucta Prouincia Vrgelitano Collegio, & domo Probationis Oriolana nuper admissis, necdum tamen incolæ cceptis.



## DOMVS PROFESSA VALENTINA.

**E**TSI ætate reliquis Prouinciæ Patribus antecedunt huius domus Sacerdotes magna ex parte, nihilo tamen inferiores sunt eis pietatis ardore, quem non conseruare tantum studuerunt hoc anno, verùm etiam augere: vt neque atas ingrauescens, neque inualetudo eos reuocarit à studio vel orationis, vel mortificationis: quam ad rem mirum quantum attulerint adiumenti piæ P. N. Ignatij commentationes, quibus plerique tum Patrum, tum Fratrum sese per dies aliquot excoluere. Vnde is extitit fructus in proximos quâ concionibus domi & foris habitis, quâ sacrarum confessionum frequentia, cæterisque muneribus Societatis, vt magna diuinæ laudis materia segesque non desit. Vt trita præteream, concionatus est vnus è Nostris in celeberrimo Vrbs templo, non minore cum fructu, quàm concursu: argumento fuere confessiones generales quàm plurimæ exceptæ cum à Nostris tum ab alijs. Monachus quidam affirmauit audiuisse triginta de tota vita confitentes, vbi minimus extiterat poenitentium concursus, qui concionatoris nostri oratione permoti expiari cupiebant. Sublata per eam occasionem publica scelera, & in ijs foeminæ cuiusdam non ignobilis: quæ impuro famuli tenebatur amore vsque adeo, vt neque abhorrens à tanto flagitio famuli mens, quam videlicet stimulabant auditæ conciones, neque patris sui obiurgationes assiduæ, neque grauior ignominia publicæ nota, neque metus diuinæ iustitiæ eius lenire animum possent, eoque progressa, vt à quo vitam secundum Deum acceperat, ei mortem, quam etiam pellici minabatur, inferre cogita-



ret. Concionator noster re cognita, orationem in eam, quæ familiaris cuiusdam persuasione tunc aderat concioni, tanta animi contentione & prudentia conuertit, sicque rem omnem aperuit, vt crederet illa diuinitus patefactam esse Patri nostro vitæ suæ rationem: quippe qui tam apertis verbis exprimeret quæ in ipsius latebant animo. Victa denique venit ad nos, cumque Patrem ipsum, quem vehementer cupiebat, minimè reperisset, apud alium virus euomuit, & ad se, Deumque redijt, magno doloris sensu, cuius indices fuere manantes ex oculis lachryma. Alia quædam mulier huic non absimilis de honestiore vita cogitabat: obstabat tamen vir primarius cuius illa amori & cupiditati seruebat. Huic se sociam & adiutricem præbebat mulier alia, quæ ignem cœcum magis accendebat. Sed tandem omnes impetum orationis, ac vim diutiùs ferre non potuerunt. Cum Sacerdos è nostris oppidum satis celebre forte præteriret, quod intestina discordia duas in factiones diuisum erat magno multorum periculo, multis licet dissuadentibus, è superiore loco verba fecit ad circunfusam multitudinem, quam sic permouit, vt vix pedem extulerint è templo, cum odium mutuum mutuo amore commutarunt, quin & stipem permagnam obtulerunt ad fundandum Societati Collegium.

EX confessionibus, inter alia, hæc in proximos manuit utilitas, foemina futuri matrimonij, vt fit, spe decepta à viro, cui vxor superstes erat, ab ea fraude & scelere liberata. Restitutiones magni pretij factæ non pauca. Catechismus à grauioribus & senioribus Patribus traditus passim per compita & plateas fructum attulit labori parem. Bis excursus in oppida vicina, multaque gesta è re diuina. Valetudinarium publicum de more lustratum singulis hebdomadis, vnà cum carcere, curatumque, vt qui recuperata valetudine, viribusque receptis ad vomitum redire



dicere cogitabant, ij sese in officio continerent. Suis etiam ex Congregationibus perceptus est fructus. Equestris, quæ ab Spiritu sancto nomen habet, exemit è vinculis 370. singularis eorum apud ciues suos virtutis opinio, quæ ipsum etiam Proregem pellexit, vt interesset pijs eorum exercitationibus, magno virorum illustrium comitatu: ac diceret inde discedens, nihil sibi in vita accidisse iucundius. Reliquæ duæ nihil habent singulare. A Edificatio templi vrgetur strenuè mille aureorum accessione, quos Rex Philippus nobis dedit.

## COLLEGIUM VALENTINVM.



**V**T mittam cæteros huius Collegij Patres ac Fratres, qui Theologiæ vtrimque dant operam, non minores in virtute quam in doctrina progressus facere conati sunt. Dies aliquot pijs ex præscripto P. Ignatij exercitationibus fructuosè tribuerunt, stipem æstiuis diebus viciatim & per plateas obsoletiore vestitu corrogarunt, & popularibus immisti pauperibus atque mendicis ad ianuas cœnobiorum sumpsere cibos, quæ omnia & alia id genus tanta animi alacritate & studio facere solent, vt fræno etiam egeant interdum. Ex horum numero duos euocauit in cælum Deus, qui exemplo suo cæteris prælucebant, vnum quidem confecto iam studiorum curriculo, alterum verò iam ad metam properantem. Vtrumque religionis, modestiæ, & orationis laude florentem, ad quam etiam posterior quandam verberationem, & alia poenarum sponte susceptarum genera frequenter adhibebat. Ex concertationibus literarijs tam externis, ad quas Nostri se conferunt,



quàm domesticis quæ publicè fiunt, eam referunt laudem, vt Societati nomen, quod adhuc fuit apud Valentinos illi tueantur egregiè. Scholis publicis, quæ redeunte studiorum intermissorum labore habentur domi, non solum interfuit ingens virorum doctrinà ac religione præstantium numerus, sed ipse etiam Prorex vnà cum liberis sex. Catechismus explicatur in ampliore platea, quam explanationem excepit exhortatio ad concurrentem vndique plebem non infructuosa. Missi Patres duo ad finitimos pagos: principio quidem non admodum libentibus oppidanis excepti sunt, quippe quibus minus erat nota Societas, deinde tamen experimento docti aliud Nostris propositum esse quàm quod ipsi putabant, quod ad hospitalem pauperum domum diuertissent, & precario victitarent, eos amare & æquis auribus audire cœperunt, tantumque fuit in discessu relictum in omnium animis Societatis desiderium, vt leniri vix posset. Mirificus confessionum fructus. Discordiæ sublata: amicitia tam turpes, quàm periculosa omnino discissa. Domus etiam leuata ære alieno quò premebatur mille aureorum æstimatione.

---

## COLLEGIUM GANDIENSE.

**I**N Academia nostra Doctoris in Iure Pontificio accepit insignia quidam è Censoribus rectæ fidei, & Philosophiæ Magister creatus est frater Ducis ipsius Gandiensis, qui disputationibus publicis crebrò solet adesse. De fructu concionum quæ in summo templo habitæ sunt, solemnij tempore, & domi forisque cætero anno, nihil dicam, ne commu



communia fastidium afferant. Quidam sextum iam ac sexagesimum annum Confessionis abutebatur sacramento: sed respuit tandem oratione Nostrorum. Alij quibus Noſtri præeſſe non poterant, ne tanto bono priuarentur à ſex ſeptemque paſſuum millibus in Collegium confessionis cauſâ ventitabant. Exeunte anno paſſim Gandia aliaque vicina oppida ingentibus terræ motibus contremuere: quo tempore ædificia nonnulla, & loci natura, & hominum arte munita cùm corruiffent, nos Deus ſeruauit incolumes in domo non ſatis firma. Terræ verò motus vix credibile eſt quantos excitarint motus animorum. Solemni pompa omnium ordinum ventum ad nos, & nox integra in diuino numine precibus lachrymisque placando conſumpta ante aram ſummam expoſita ad ſolatiū eorum qui aderant Euchariftia, expiati per eos dies Confessionis ſacramento permulti.

## COLLEGIUM CÆ- SARAVGVSTANVM.

**R**IPVIT nobis hic annus P. Alphonſum Romanum, virum non minus de ſanctitate quam de hoc Collegio, deque tota Prouincia benè meritum. Quinquageſimum iam annum in Societate egerat, ſingulari in rebus aduerſis patientia, ardenti ſtudio ſalutis communis, fide in Societatem non vulgari, & omnium denique commendatione virtutum. Præfuit huic Collegio cum aliàs ſæpe, tum verò præcipuè cum excitata eſt in Societatem tempeſtas illa grauiffima, de qua agitur in vita P. N. Ignatij lib. 4. c. 14. neque huic tantum Collegio, ſed alijs etiam toti que præfuit Prouincia. Obijt autem non minus longo quam doloris



pleno morbo confectus, ut singularis eius patientia existeret magis. Præceptores duo conscientia nodos præclara casuum explicatione dissolunt. Cæteri solitis muneribus utiliter occupantur. Foeminis duabus prostituta pudicitia quaesita dos est, & alia non pauca à præsentis periculo amittenda pudicitia, erepta. Iacturam fecerat quidam bonorum omnium ludendo, eaque de causa socero & creditoribus vehementer erat infensus; sed vnus Nostrorum opera cum illis, & cum Deo redijt in gratiam, in eoque sacramentorum vsu perseverat. Erat in vrbe dissidium maximè formidabile, cuius causam attulerat foemina quaedam nobilis: sed vnus è Nostris interuentu, cum illa viro nupsisset à quo periculum imminabat, pax vtrimque composita. Matrona quaedam illustris solet peruigilijs omnibus B. V. Mariae, quam summa pietate veneratur ac colit, vnam in domum conuocare meretrices omnes, easque suis alere sumptibus ijs ipsis diebus ne re ipsa Deum offendant, quo tempore vnus è Nostris concionem habet ad illas, saepeque fit ut multae respiscant, & ad domum deferantur conuersarum non multis ab hinc annis institutam.

ADVENTVS tempore missus ad Urbem huius regni præcipuam Pater quidam, eos fecit animorum motus, ut iudices quererentur concionis tempore tribunalium solitudinem, & mercatores fori vastitatem: tantus videlicet erat omnium ordinum ad conciones, confessionesque concursus. Sodalitatibus impensè fauet Deus: vnum afferam è multis singulare. Præteribat forte sodalis quidam imprimis honestus pontem, quem Iberus subterlabitur, cumque quo vehebatur equus ex inopinato euentu, concitari ac ferocire coepisset, equitem in alteriorem ponti crepidinem ita deiecit, ut excussus ex ephippio, sederet in summa trabe transuersa: quod diuinitus factum esse nemo dubitauerit, si paulò attentius perpendat loci  
illius



illius angustias, equi ferociam, & periculi magnitudinem. Redijt ad se pius videlicet eques, animaduertitque se recitare tunc rosarium in honorem D. Augustini qui sibi eo mense in sortitione Sanctorum obtigerat.

EXCURSIONES duæ factæ sunt, altera quidem in pagos duodeviginti, nemine non confesso, vt Pastores etiam ipsi vltro Nostros adirent: & concubina, quæ in eo flagitio annum iam decimum quintum volutabatur, non sine omnium offensione, ab impuro homine, pagoque abducta, & restincto discordiarum incendio, quod inter Principes viros exarserat. Altera verò in pagos sex, quibus ferè omnibus ad eam diem erat ignota Societas, fructus idem qui in superiore.

## COLLEGIUM BILBILITANVM.

**P**LERIQUE Nostrorum ineunte vere & autumno exculti sunt meditationibus P. Ignacij: vnde alacriores ac vegetiores effecti ad domesticos & externos labores pro Christi amore superandos. Poenitentium multitudini satisfacere Nostri non possunt, diebus præsertim festis celebrioribus, primisque singulorum mensium dominicis. Quadragesimæ tempore concionatus est Sacerdos è Nostris in præcipuo quodam huius regionis oppido non sine vbere fructu, quem testatæ sunt confessiones totius vitæ, pacificationes, restitutiones æris alieni, & alia non pauca, quæ ne singula prosequar, libens omitto. In vrbe verò nostri ordinis studiosa non defuit laboris ac fructus occasio multiplex; orta dissensio in vno quodam è tribus Canonicorum Collegijs, quæ sunt in Vrbe, multos offen-



derat, qui propter diei celebritatem eò conuenerant; sed vnus è Nostris, qui ab illis ipsis euocatus est, opera ita sublata est, vt mutuis amplexibus testarentur beneuolentiam & amorem internum. Eadem diligentia, pari que successu occursum est malo nascenti, quod in multorum dedecus & vitæ periculum ne serperet longius, Nostris non modò perfecerunt, sed etiam, vt comprimeretur omnino. Ciuitas ipsa omnis que finitima regio quæ 60. pagis continetur, plurimum Nostrorum pietati ac doctrinæ tribuit, vt nullus incidat nodus arctior, nulla quæstio difficilior, ad quam dissoluendam Nostris non adhibeant. In ijs Vicarius generalis, cuius est insignis auctoritas & opinio virtutis atque doctrinæ, Nostris sæpe de rebus grauioribus consuluit. Scholæ crescunt auditorum frequentia & commendatione doctrinæ. Sodalium numerus quotidie maior atque feruentior: inita demùm ratio qua Nostris breui migrare liceat in domum laxiorem & scholis aptiorem.

---

C O L L E G I V M  
T A R A S O N E N S E .

**N**VMERVS nostrorum auctus hoc anno curriculo Philosophiæ. Omnium in vera pietate ac perfectionis studio mira contentio. Concionum domesticarum vberrimus extitit fructus, id quod ex poenitentium confessionibus, in quibus generales multæ fuerunt, liquidò constat. In ipsis Christi Domini natalibus ferijs ad 600. cœlesti pane relecti sunt, quod est in tantula vrbe mirandum. Mulier quædam vitæ profligatæ nocte quadã visa sibi est à cacodæmone compressis faucibus strangulari. Quæ excita somno, ac subito horrore



horrore perculsa ad nos venit, magnoque doloris sensu totius anteactæ vitæ peccata confessa, honestam vitam instituit. Quidam mortuo repente, quo vehebatur, iumento, dum die festo ad laborandum iret in agrum, graui quodam ex inopinato rei euentu timore perterritus in Collegium nostrum rectâ contendit, ibique expiato per confessionem animo, timorem absterfit. Quidam alius procul à patria, egestate premente, apud se statuerat eum qui primus occurreret interficere. Expectans verò per aliquot horas viatorem aliquem, non offendit: cumque in ea cogitatione totus esset, vidit ob oculos equites duos lugubri veste ab summo capite ad imos vsque pedes coopertos, quo viso inhorruit ita vt neque posset se signo crucis munire, neque sanctissimum I E S V nomen pronuntiare, neque diuinam opem penitus implorare: Interim illi summa festinatione præcurrere, visique ferre in medio proceram populum, quæ apice coelum attingeret: hic verò tardiùs peruenit in oppidum quò tendebat, cumque ab eo non procul abesset, foeminam vidit faccum trahentem paleis refertum: eius verò aspectu mirificè recreatus subitò vidit illam in equitem conuersam, cui à tergo puer insidebat eodem corporis cultu quo equites illi priores. Tunc ille summa celeritate perrexit in oppidum. Sed propiùs accedens, spectrum quæsiuit ab eo vnde veniret? quo respondente, discessit, hospitiumque in quod miser ille diuertit, omnino præterijt. Narrauit hospitibus quid sibi accidisset: eorumque oratione confirmatus ad Collegium nostrum rectâ se contulit, ibique peccatorum onus cum timore deposuit, hodieque sacramenta magna cum animi voluptate frequentat.

ITVM etiam ad quatuor oppida concionum atque confessionum causa. Fructus in ceteris qui solet, in hoc verò præcipuus; quòd vxor, quæ viro manus afferre cogitabat, consilium abiicit suasu Nostrorum. Altera verò



ei sponte remisit iniuriam, à quo fuerat bonis omnibus spoliata. Alius etiam, cui in somnis obiecta est species quaedam inferni, instar fornacis cuiusdam ardentis cum ab adstante quodam audiuisset, si vellet eam acerbiter poenarum effugere, oportere ut quas contraxerat peccatorum sordes per confessionem elueret, quod cum cumulatè præstitisset alterius vitæ initium est exorsus. Prædium ad laxandos Nostrorum animos cõemptum est 600. aureorum pretio.

## COLLEGIUM

BARCINONENSE.



**R**ETATE Nostrorum atque opinione doctrinæ, quæ & Parochos diocesis, & Urbis magistratus, atque mercatores omnes ad nos de rebus suis consulendos inuitat, efficitur, ut Societatis splendor longè lateque diffundatur. Ut taceam quæ sunt cum alijs Collegijs communia, vtraque Congregatio feruet maximè. Ea quæ Scholasticorum est, varios in varias religiosorum familias misit, nostram expetunt quatuor. Quæ verò opificum, valetudinaria publicè frequenter obit, egros aspectu, oratione, opera consolatur ac recreat. Vincit etiam in publica custodia non deest omni pietatis officio, ex eoque numero 30. vinculis absoluit, ære alieno, cuius causa detinebantur, coacta stipè persoluto. Sacerdotes duo aliquot huius dioceseos oppida non sine fructu peragrarunt. Auditæ confessiones de tota vita plus ducentæ, & in ijs multæ à quadraginta annis repetitæ. Societates duodecim quas turpitudine firmauerat discissæ. Coniuges à duodecim annis non legitime, legitimo iuncti matrimonio. Pacificationes factæ 20. inter eos qui odio grauissimo dissidebant. Viri duo, qui propter



propter adulterij suspicionem, de vxorum nece cogitabant, ab ea mente deducti. Alius etiam qui vxorem parabat occidere, quòd nollet turpis lucri causa aliorum seruire libidini, sibi redditus. Duæ etiam mulieres formosæ ad honestiorem reductæ viuendi rationem. Quidam aliquot dierum itinere confecto hostem expectabat, quem confoderet, sed nostrorum opera destitit ab incæpto, generalemque confessionem instituit. Addam quiddam quod miraculi instar habetur. Puella quædam cum è lecto, vbi graui æstu febrique iactata decumbebat, audisset, quæ de Patrum nostrorum concionibus, de quæ Iobileo prædicabantur, rei cupiditate vehementer incensa, eos spiritus animumque sumpsit, vt templum adiens semel, iterumque, morbo liberata domum redierit.

## COLLEGIUM GERVNDENSE.

**P**ROPTER summas domus Tarraconensis angustias huc missi sunt Nouitij octo, sicque nostrorum numerus creuit hoc anno. De pietate erga Deum legumque nostrarum custodia nihil dicam. Missas facio totius vitæ confessiones ab vno dumtaxat 80. & eo plures exceptas. Vincitorum animis corporibusque consultum. Animam ferè agebat quidam in Valetudinario publico nunquam ritè confessus, quòd vereretur ne sacerdos peccata detegeret, affuit in tempore vnus è Nostris, cui cum aperuisset omnia quæ tamdiu occultarat, illicò spiritum Deo reddidit, magna spe veniæ salutisque concepta. Quidam alius ad huius Valetudinarij portum appulit, grauissimis terra marique periculis defunctus, idque planè diuinitus. Nam cum mi-  
le



les esset ab hereticis captus, & rectam fidem à qua con-  
 tubernales suos defecisse videbat abiurare iussus, nullis  
 neque minis, neque verberibus dimoueri ynquam potuit  
 à proposito. In his tormentis nihil magis cruciabat ani-  
 mum, quàm blasphemix quas Christiani nominis hostes  
 impuro in Christum dominum ore, eiusque matrem euo-  
 mebant. Biennium egit in carcere innumeris malis erum-  
 nisque confectus: cumque die quodam ex sæua verbera-  
 tione defessus sese in preces effudisset ardentius, & B.  
 Virginis opem implorasset vehementius quàm solebat,  
 sensit se vinculis solutum omnibus, quare ad maris litus,  
 quod non aberat longius, suis se pedibus contulit: quo  
 cum venisset ignorans primum quid consilij caperet,  
 quod artem nesciret natandi, quasi diuino, vti credi po-  
 test, actus impulsu se mari commisit. In medijs verò flu-  
 ctibus fultus ope, vt ipse narrabat matronæ cuiusdam  
 pulcherrimæ, in contrarium litus tandem euasit incolu-  
 mis, indeque terrestri itinere eum quem dixi locum te-  
 nuit, vbi Sacerdoti nostro confessus, gratias immortales  
 Deo, Deiparæque agens, statuit vt primum ex morbo con-  
 ualesceret, ingredi religionem. Duo qui legitimorum cõ-  
 iugum more viuebāt, ex Ecclesiæ præscripto, occultas sed  
 legitimas nuptias celebrarūt. Vxor quod turpiter viueret,  
 infensa marito, mutata velificatione cū eo redijt in gra-  
 tiam. Dicit nō potest quis sit omnium sensus de virtute ac  
 doctrina nostrorum: testes sunt crebrę consultationes de  
 rebus ad animum pertinentibus. In ipsa verò synodo vo-  
 luit Præses duos è nostris adesse, vt si quid difficultatis  
 occurreret illorum consilio, arbitrioque statueretur quid  
 facto opus esset. Quin etiam Episcopus qui nuper adle-  
 ctus est, nostri ordinis amantissimus Nostros sæpè adhi-  
 bet in consilium, quorum hortatu perfecit vt domus in-  
 famis, quæ tetrum odorem in proximum sibi Collegium  
 diffundebat, aliò magnis superatis difficultatibus trans-  
 ferretur.




ferretur. Ex missionibus incredibilis planè perceptus est fructus. Confessiones totius vitæ exceptæ 500. adolentes duo adducti nostrorum opera, vt fidem quam violatis virginibus dederant, soluerent. Nonnulli matrimonio ritè coniuncti. Alij venenum abiecerunt, quod ad necem paratum habebant: alij quibus propositum erat inimicis adferre manus, ab ea mente destiterunt. Curatum ne libellus famosus ad multorum infamiam prodiret in publicum. Iniuriæ publicæ mutua voluntate & amoris significatione remissæ. Superstitiones quibus errore mentis tenebantur multi sublata: quæ omnia & alia per multa quæ consultò prætereo, quàm fuerint Deo grata testatur ipsa fundatio Collegij: quæ & domus & scholarum ædificium mutauit, quam ad rem emptæ sunt ædes domui nostræ continentes vnà cum horto liberalitate fundatoris. Ad templi cultum & bibliothecam locupletandam multum profuit cum aliorum erga nos benignitas, tum verò potissimum fundatoris ipsius, à quo centum nummos aureos accepimus præter cetera.

## COLLEGIUM BALEARICVM.

**N**ihil dicam de Societatis nostræ muneribus, in quibus non minus apparet nostrorum diligentia quàm in ceteris Collegijs. Illud attingam de coetu nobilium, florere nimirum quotidie magis & numero Sodalium & auctoritate. Quatuor ex ijs consulari munere functi sunt hoc anno. Prorex etiam interdum præsentia sua eandem Sodalitatem cohonestat. Carcerem publicum & valetudinarium frequen



frequentes obeunt, & tam ægros quàm vinctos oratione, cibis quos ipsi suis inferunt manibus, & pecuniâ consolantur. Quo factum est vt multi vinculis sint exempti. Duo ex eorum numero virtutis exemplo & nobilitate principes tabulis publicis consignari voluerunt remissionem iniuriæ quam acceperant ab ijs, à quibus mortiferis fuerant affecti vulneribus. Ex altero verò cœtu scholarium fructus capiuntur minimè poenitendi: parit enim quotidie viros & virtutis & doctrinæ splendore conspicuos, non modò clero, verum etiam religiosis ordinibus. Duodecim alijs, duo nobis adiuncti: quibus tertius accessit Theologiæ doctor: qui propter doctrinæ ac probitatis existimationem non vulgarem, creatus erat Officialis ac Vicarius generalis huius dioceseos, vir plane singularis in quo multi spes suas collocarant, & in ijs Episcopus, qui vt sibi esset adiumento Pontificia eum ornari dignitate cupiebat. In missionibus inter alia ad Dei gloriam & animarum salutem gesta præclare, illud effectum, vt omnes de Societate benè sentirent, & honorificè loquerentur, cum alij dicerent eiusmodi sine dubio morem Apostolos tenuisse in hominum ad Christi fidem, & bonos mores conuersione: alij verò fore, si diutius ibi Nostri remanerent, vt cuncti vitæ sanctitate florerent. Quin etiam Patres Dominicani pro concione laudabant Societatis institutum, & explicationi Catechismi frequenter intererant.



DOMVS



DOMVS PROBATIONIS  
TARRACONENSIS.



VAMVIS illud in primis huic domui propositum sit, vt tyronum mores ad Societatis institutum & veram pietatem informet; quo in genere desideratum est nihil: non desinit tamen externis prodesse quoad potest. Nam & multorum tam domi quàm foris confessiones audiuntur, & pagi vicini de more lultrantur. Archiepiscopus visitaturus dioecesim duos è nostris adduxit secū. Traditur catechismus varijs in locis à tyronibus, diebus præsertim dominicis. Ad Vrgelitanam etiam dioecesim manauit vtilitas, quo profecti Patres duo trimestri spatio incultos eius gentis mores coluerant. Totius vitæ confessiones audite ad 400. Excitatus pietatis ardor in frigidis multorum animis.

PRO

